ENCOMIUM
Græcæ linguæ.

Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Musa loqui.

Ita sanè lyricæ festivitatis Antesignanus Q. Horatius Flaccus canit. Neminem a., Auditores omnium ordinum suspiciendi, viri omni genæ eruditionis & prudentiæ laude maximè conspicui, fore confido, qui, dummodo effatum hoc ad sanioris rationis obrussam revocet, utrumque non solum pollicem premat, sed & ambabus manibus largiatur, non minus verè quàm appositè Venusinum Vatem cecinisse. Verbis namque illis Romanorum Pindarus Græcam præprimis linguam omnis facundiæ, adeóque omnis elegantiæ fontem constituit, planè omnibus unum illud persuadens, absque lingua Græcæ peritia neminem mediocriter saltem doctum haberi posse. Quid? nonne huc quadrat πολυθρύλλητον, quod bonarum artium studiosis familiarius, quàm quod familiarissimum esse debebat:

> Ὃς μὴ ῥωμαϊκοῖς ἑλληνικὰ θεάσματα μῖξεν,
> οὐ δύναται συνετοῦ τοὔνομα ἀνδρὸς ἔχειν.
>
> id est,
>
> Qui non Græca simul junxit documenta Latinis
> is verè docti nomen habere nequit.

Omnis siquidem doctrina elegans, omnis disciplina studio digna: uno verbo, quicquid usquam est politioris literaturæ, nullis alius, quàm Græcorum continetur monumentis. Quapropter omnibus ac singulis ad veram ac solidam perventuris eruditionem nullâ re magis, quàm Græcæ linguæ peri-